



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ærumnæ D. N. Jesu Christi

Thomé <de Jesus>

Monachii, 1676

Ærumna XXXVII. Permutatio Christi cum Barrabba.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45834)

rabilia tua, faciendo me dignum & ita subiectum amoris tuo, sicut tu vis, Deus animæ meæ. Fac, ut in isto corde non sit discrimen, quis me vexet, bonus an malus; nec ego putem fieri mihi vim ac injuriam: sed unica ratio excusatio, consolatio mea sit, imitari te, & similem tui fieri. Aperi, Domine mi, thesauros tuos, & fac in hac paupere creatura divina opera tua. Aufer à me, quidquid possum sentire, & tibi me uni: & te solum, Deus meus, & JESUS animæ meæ, amor meus! possideam semper.

O sanctissima DEI Mater, Refugium Infirmorum, Dux errantium! adjuva me, Domina, & impetra mihi à Domino istum thesaurum. Tu Regina Angelorum, scis meam animam non alia de causa creatam, quam ut semper amore perfecto sit unita Domino, & extra eum illi bene non esse. Impetra ab illo mihi lumen & gratiam solum ipsum quærendi, desiderandi, sequendi toto corde; nec aliud quidquam curandi, quam quod ad eum ducat, vel abducat. O sancti gloriosi ac beati spiritus, juvate hunc miserum exulem, infirmiore ex propria culpa, quam ex natura; elevate cor meum ad illum, quo vos estis tam pleni & beati, ut ipso contentus nihil aliud amem; nulla re turber, nisi quæ ab ipso me separet. Amen.

Æ R V M N A X X X V I I .
Permutatio Christi cum Barabba.

I.

Non potuit contemptus Domini intra longum
tempus fieri major, quam sit factus intra sex horas, *Accusatur*
ut pluri fieret homicida seditiosus, quam sua divina *Christus*
Majestas, & judicaretur pro merito poenam eandem, *coram Pi-*
quam Reipublicæ perniciosissimus quisque. Atque ut in medio *lato.*
talium puniretur, allaboravit malitia inimicorum ejus omnibus
modis: cumque id non procederet viâ juris; per vicaciâ, clamore,
tumultu ac seditione conati sunt obtinere. Cum enim in Pa-
schatis festo sollemnissimo Christum summo manè adduxissent ad
Pilatum, isque interrogasset, quam accusationem afferrent ad-
versus eum, illi, quasi vitio verterent sibi, præcipuis Gentis Judai-
cæ non haberi tantum fidei, ut sine ulteriore examine reum à se
adductum

Ggg

adductum

Ioann. 16. 30 adductum damnaret, responderunt superbè: *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.* Indignatus Præses tam iniquæ petitioni, dixit: accipiant ergo eum, & secundum legem suam judicent, quando Romanis & justitiæ naturalis legibus ipse id facere non possit. Sed quia illis adempta fuerat potestas ullum damnandi ad crucem, quod unicè cupiebant evenire Christo, ceperunt illi varia crimina eo supplicio digna imponere: ut quod omnem populum à Galilæa Jerusalem usque commoverit; Regem se fecerit; ac prohibuerit Cæsari dari tributa. Quæ tamen parùm credibilia, & ipso proponendi modo suspecta essent Pilato, non tamen dissimulanda censuit: sed iudicium totum remisit Herodi. At cum nec ab isto videret magnopere curatam accusationem, & eam importunissimè urgerent illi, sine omni probatione; ut meliùs ex ipso Domino de rebus ejus cognosceret, secretò illum de regno & origine suâ interrogat, si fortè sit è stirpe regia, ut cogitationes de regno habeat. Non abnuit Christus, se regnum habere, at non ex hoc mundo: alioquin ministros suos utique prohibuit, ne traderetur Judæis.

*Aperit ro-
gram suam*

I I. Objici potuit, si regnum ejus in cælo est, quare non defendunt eum servi, quos habet in cælo: minorne est fides & affectus in illis erga suum Regem, quàm esset in hominibus? atqui longè diversa est hominum agendi ratio: nam hi sui Regis causam propugnant, seu justa, sive injusta sit, modò gravem & armis dignam existiment: illi autem divinitus edocti omnia terrena parvi pendunt, & noverunt eorum jacturâ magnum fieri lucrum: ideoque non defendunt regis sui honorem & vitam, quod eorum amissione sciant emi cælo plurimos incolas; sic etiam non liberant amicos suos in terrâ ab eorum ærumnis; quia nôrunt eorum felicitatem sic affecurandam in cælo: atque ut altiore sapientia res discernuntur in cælo, quàm in terra, sic etiam certiore ac tutiore lege gubernantur. Sed Pilatus alterius mysterii aperiendi occasionem Domino dedit, cum dixit: *Ergo Rex es tu?* cui ille: *Tu dicis, quia Rex sum ego. Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati: omnis, qui est ex veritate, audit vocem meam.* Hæc verba bene consideranda sunt omnibus

Io. 18. v. 37.

omnibus, qui per doctrinam Domini expectant æternam salutem. Nam si illam, ejusque confirmationem, tam illustribus exemplis totius vitæ ac passionis factam ab illo, conferant cum suis moribus ac studiis, facillè videbunt, an secundùm veritatem incedant, vel potiùs decipi se sinant rebus, quas ille rejecit. Atque ut agitur hîc de damnatione ac salute animæ, par est, ut omnes magnâ cum curâ vitam instituant, ne forsân à veritate aberrant, falsâ specie inanum rerum delusi. Vereor autem, ut nimis multos habeat socios Pilatus incuriæ suæ, quâ tantùm obiter quæsivit, quid sit veritas, neque expectavit responsum: quia scilicet parùm curabat id nôsse, neque desiderabat illuminari à luce divina sibi præsentem, & sine dubio multam ei gratiam daturâ, nisi cursim & quasi pertransennam egisset.

III. Cùm ergo Pilatus, quæ de regno cælesti ac de veritate dicebantur, non intelligeret, ac censeret ea nihil ad Imperium Romanum spectare, sed potiùs ad Hebraicos ritus ac dogmata, neque ipse omni diligentia ullam in Domino causam mortis deprehenderet, uti nec Rex Herodes; statuit, aliquâ propter aliquos motus in populo excitatos castigatione correptum, dimittere. Id quod Judæorum Principibus non levem timorem iniecit, cogitantibus Christum, licet in publico taceret, privatim tamen Præsidi sic satisfecisse, uti ei mendacia & odia sua facta sint manifesta: videntes adeò se hactenus nihil admodum effecisse, & in periculo versari excidendi penitens proposito suo, denuo clamoribus ac tumultu cœperunt urgere, ut improbi solent, quod jure non possunt assequi. Pilatus, ut Christum, vel se potiùs liberaret ab illis, hâc eos arte fuit aggressus. Consueverat in memoriam liberationis à servitute Ægyptiaca, pro solemnitate Paschali aliquis capitis reus, quem populus vellet, vitâ donari. Proposuit igitur illis Christum, & Barabbam seditionis & homicidii reum, non dubitans, à populo, qui Barabbæ infensus, & Christo multùm esset obstrictus, Christum petendum: cujus res etsi non satis cognoverat, ipsa tamen patientia & mansuetudo cum imperturbatâ modestia, gravitate vultus & oculorum, nihil dejectum triste

*Studium
Pilati di-
mittendi
Christum.*

*Christus
Barabba
postponitur.*

aur iracundum spirantium, ac demique decor, & placida majestas conservata inter summas iniurias, animus constans & erectus, cum insigni prudentia, non immeritò videbantur omnibus id persuasura: sed aliter evenit. Nam populus instigantibus principibus, sicut efferata bellua, sine discrimine ruit in obviam quæque, unâ voce donari petit sibi Barabbam, Jesum agi in crucem; quod etiam obtinuit. Videre licet hîc indolem populi, cui multi magnates tantopere student placere: quòque termino clauduntur vulgi plausus & laudes. Hoc præmio donatur ab eis Christus pro tot beneficiis. Quantum autem hæc omnia doloris attulerint ei, non verbis exprimi potest, sed considerationi piorum relinquere debet, ut eorum sensu tacti liquentur in lacrimas.

*Joan. c. 15.
v. 18. & 19.
Mundus
bonos oppri-
mit, malos
defendit.*

IV. Bene monstravit in seipso Dominus veritatem ejus quod Apostolis dixerat: *Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus, quod suum erat, diligeret: quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* Amat enim, quod suum est, defendit latrones, absolvit homicidas, liberat seditiosos, favet consceleratis, damnat auctorem vitæ & pacificatorem inimicitarum, permutat innocentem cum improbo. Hic est mundus, cui servitur, adolentur thura, velificant omnia, & victimæ fiunt homines: qui quantò plus inveterascit, tantò densiorem callum inducit in odio & persecutione bonorum ac virtutum, & in extollenda vanitate, ac vitiis allinendo nomina verarum oblectationum; ac tantùm valet apud plurimos, ut, licet pessimè solvat suis mancipiis, semper nihilominus obtineat fidem, quâ, licet infortunia fervorum ejus abscondi non possunt, credantur tamen vera bona sectari. Ita cum periculo animæ quisque fertur in ea, ad quæ propendet; vel mundi, ut pereat, vel Christi, ut salvetur; licet odio habeatur à mundo. Perutile sanè his, qui Christum vero corde sequuntur & amant, mundum exosi, videre, quomodo Christum tractet mundus, divinam ejus Majestatem posthabendo latroni; & videre, quòd, si mundus amat improbos, id in ludibrium eorum desinat, & interitum: cum contra, quos amat Christus, coronet, & ex improbis efficiat bonos, coronandos cum bonis.

V. Perro

V. Porrò qui bene novit animum Christi, & quantus ignis ardeat jugiter in ejus pectore, quemque multis modis exhibuit peccatoribus, omni studio illos quærendo, seque illis conformando, judicabit injuriam ei fieri, cum hoc numeratur inter ejus ærumnas, quòd permutetur cum homicidis, & computetur cum sceleratis. Imò propter puritarem & magnitudinem amoris hæc potius reputandæ forent inter majores delicias, quas unquam habuit in totius vitæ suæ decursu, quam totam impendit, ac denique profudit pro peccatoribus; ut proinde libenter eos haberit socios, quos comparavit sibi tantis impensis. Et verò, licet gravissima fuerit ipsi hæc optio ingratiissimi populi, tantum benefactorem suum judicantis indignum vitâ, præ famoso latrone, & perturbatore Reipublicæ; nihilominus meritò cogitari potest, ei longè acerbius futurum fuisse, si etiam homicida fuisset occisus, ut ipse retineretur in vivis, qui paratus erat mori pro quolibet. Quamvis autem illi perversissimo judicio suo turpissimè erraverint, & gravissimè peccaverint; nihilominus æterno consilio DEI ^{Gaudium} factum est, ut in hac permutatione omnes peccatores certum pi- ^{Christi ob} gnus habeant, quòd quotiescunque opus erit, pro se dare possint ^{condonata} vitam & sanguinem domini. Atque hoc oportet credere, Chri- ^{vitam Ba-} stum, quando audivit peti præ se Barabbam, ardentissimo amore in id animo consensisse, ac Patri æterno se pro Barabba & omnibus hominibus obtulisse, & impetrâsse, ut ista commutatio rata & confirmata sit pro omnibus, qui volunt salvari: ut proinde nemo, quantumvis malus, diffidere possit, se locum habiturum in comitatu istius veri amici peccatorum. Quia & in vita semper quæsit peccatores, omnibus gratissimum ad se præbens accessum; & in morte socium habuit latronem à cruce ad paradysum. Quomodo ergo negabit in gloria sua locum ulli peccatori quærenti se?

VI. Atque hoc ex parte DEI dubium non est, at ex parte ^{Homo pec-} nostra valde periculosum; quia permutamus eum rebus, quæ ^{cato mortu-} ab eo loco nos arcent: & amore proprio excæcati Judæos imi- ^{li Christum} tamur quolibet gravi peccato, quo Deum à nobis rejicimus, ^{Barabba &} præoptantes inania. Quin imò stolidior est nostra commutatio, ^{postponit-}

quàm Judæorum : quia Barabbas homo fuit , pro quo Dominus moriebatur , & cum eo commutabatur , ut salvus fieret : sed commutare Christum cum rebus tam vilibus , & cum peccatis tam fœdis , quorum odio Christus est mortuus , ut ea tolleret ; & cum vanitatibus mundi , quas ille tanto studio reprobavit , est adeò grave , ut hominem meritò pudeat , ne audeat oculos levare ad Christum aspiciendum. Quia peccare mortaliter non est aliud , quàm Deum ejicere domo , quam comparavit sanguine suo , & in ejus locum introducere peccatum , quod descēdat ipsum infernum. Neque hoc malum fert homo solùm in anima ; sed etiam interim dormit , comedit , lætatur in ipsis peccatis. Neque verò minor est culpa nostra , quàm Judæorum : nam hi fecerunt ex passione , invidiâ & odio erga Dominum , quem non agnoscēbant pro Filio D E I ; sed nos , qui adoramus eum pro illo , qui est , & exspectamus ab illo salutem æternam , & omnia bona , sine interveniente odio , peccamus tanto cum gustu & amore injuriarum ipsius , ut pro nihilo reputemus , eum perdere , & permutare pro quacunque delectatione terrenâ. In summa , tales nos sumus ; & ipse non minùs est patiens , & amans nostri , quàm eo die , quo pro nobis est mortuus.

*Malitia sœ-
Judæos su-
perat.*

E X E R C I T I U M

Circa permutationem Christi cum Barabba.

I.

*Dominus
peccatoris
induit per-
sonam.*

ADoro te , mi bone JESU , Fili D E I vivi ! & infinitas gratias ago , pro hoc extremo amore , quem mihi nunc exhibes : dum non contentus assumpsisse carnem peccatorum , versari cum illis , dum viveres , benignè eos recipere , & expiare nostra delicta ; tam ardentem amorem ostendis , ut , cum ipse peccare non possis , & fieri verus peccator , volueris haberi pro sceleratissimo , & quidem pro tali , à quo proveniat ruina & interitus Reipublicæ , quales sunt latrones & homicidæ ; imò tanquam illis pejor , judicari indignior vitâ , quàm illi , ac tanquam antesignanus in medio eorum.

malitia sœ-

eorum crucifigi. Quid tibi dabo, amor infinite, pro tanto amoris excessu? quamnam re, Salvator mi, potero satisfacere tam inflammato amori, tanto igni charitatis, quâ me prosequeris? O Deus meus, ac Dominus meus! cum tantopere cupias mihi fieri similis, & haberi pro tali, qualis sum ego; ecce do tibi cor istud plenum peccatis, & animam hanc, cujus miseriam & malitiam nôsti: accipe illam in societatem tuam, & tracta conformiter tuæ divinæ voluntati: quidquid enim volueris me pati pro te, nec ad minimam partem accedet earum contumeliarum, quas tu pro me passus es.

II. Condone mihi, optime JESU! totum tempus vitæ, ^{Perditum} quod in servitio mundi tam mali consumpsi, qui tam parùm ^{tempus} agnovit te, ac beneficia à te cumulatè accepta. Barabbas, O ^{quod trahit} Deus meus, & vita animæ meæ! latro seditiosus & homicida ^{do impeditur.} dignior sit vitâ, quàm tu, salus animarum, requies laborantium, ac thesaurus omnium bonorum? mi dulcissime JESU! ô qui nunquam vidisset mundum, qui mavult vivere famosum latronem, quàm te! ô qui semper eum odisset! ô qui propter illum te nunquam perdidisset! Sed quid potest facere mundus tam perversus, quàm ut suos defendat, te perimat? non invenit alios socios, Deus meus! quos adjungat magis tibi convenientes, quàm duos latrones tecum crucifigendos? tam citò sunt obliti miraculorum, divini exempli, sanctissimorum operum, & heroicarum virtutum? tam citò humanitatis, quâ agebas cum illis? sapientiæ, quâ illos docebas? potentiæ, quâ sanabas? patientiæ, quâ sustinebas illos? amoris, quem exhibebas? Nullum sine auxilio dimisisti à te: nullum offendisti: nihil è mundi rebus appetivisti, degens instar pauperis: non quæsvisti honores: nulli gravis, omnibus benignus & beneficus, omnes juvisti, defendisti, protexisti. Et tamen cum te possent liberare à morte, quam tibi intentabant inimici, liberant latronem, ac te crucifigunt: petunt vitam homicidæ, te veram vitam animarum expetunt ad mortem, pejorem existimantes latronibus; quos ut servare possint, recipiunt supra se, & filios suos sanguinem tuum, ut eum effundant, ac te tollant è medio. Et cum hoc mundo ego stultus foedus inivi; illi servivi, adhæsi,

adhæsi, dedicavi studia mea: illum timeo perdere, cupio lucrari: & me perdo cum illo! da mihi, Domine, perfectum horrorem illius: da, ut amem te solum, quæram te solum, solum desiderem, æstimem solum.

III. Quando, Deus animæ meæ! videbo me tecum in persecutione, abjectione, contemptu ab hoc mundo, sicut video, dulcissime amor animæ meæ? quid boni mihi dare potest mundus, aut quid ab eo possum expectare, cum te summum bonum sic tractet? ô perditam vitam, quam illi impendi, perditas cogitationes & curas occupatas in illo! Sana, Domine, per bonitatem tuam, hanc meam miseriam: da mihi perfectum horrorem omnium, quæ in mundo sunt, ut te solum perfectè possim amare. Habeat me sanè mundus in exigua æstimatione, ut assimiler tibi, Deus ac Dominus meus: aversetur me ille, ut tu me ames: abiciat me, ut tu me recipias: tractet me sic, ut si me non trahat amor tui, saltem persecutio mundi cogat te quærere.

*Derelicto
Christo cor
nostrum of-
ferendum.*

IV. Bone JESU, vita & spes animæ meæ! quia te mundus à se tam ignominiosè repellit, veni ad me: ego te recipiam, te amplectar: moriar pro te: recognoscam te pro Deo meo, ac Domino meo. Dicat sanè mundus de te, quidquid vult, ô Deus animæ meæ! tractet te secus, quàm mereris: ego te adoro, vera vita animæ meæ: adoro te, summa veritas: adoro te thesaurum æternorum bonorum: adoro te, verum socium & amatorem animarum: te positum inter latrones agnosco, & vereor pro Deo meo: & quando te cum homicida permutant, ego te confiteor datorem vitæ æternæ. Adoro amorem, qui te ad hæc extrema pertraxit; ac desidero me eodem videre accensum, consumptum ac transformatum.

*Quam pec-
cator tur-
pius com-
mutat,
quàm Ju-
dæi.*

V. O Deus meus, ô misericordia infinita! quantum habes curandum in mea improbitate! quando me considero, Deus meus! & video, quid sis passus pro me, sic erubescō, ut optem abscondi intra viscera terræ; quia hoc, & majora sum promeritus; cum Judæorum culpam longè anteeam. Illi te permutarunt cum homine, quem tu salvare cupiebas, & pro quo patiebaris; & hoc fecerunt ex odio & invidiâ contra te: sed ego, Deus meus! te sapius, non ex passione, sed voluptatis causâ; non ex odio, sed ex bruta

ex bruta affectione cordis, & ex infelici cupiditate permutavi te cum rebus indignis. Deserui te, Deus animæ meæ, pro vanitate, pro rebus lege tua sanctissima mihi prohibitis, pro pudendis & abominandis peccatis. Tu, ô thesaurus animæ meæ! offerebas mihi per sanctas inspirationes pulchritudinem tuam, & infinitam bonitatem tuam huic miserabili cordi; & ego infelix malui vilem delectationem oblatam à creaturis, quàm te ô pulchritudo divina!

VI. O Deus ac Dominus meus, pro quàm vilibus rebus ego te spreui? quoties in meipso peremi tuum divinum Spiritum, faciendo quæ diabolus voluit? cùmque tu velles vivere, & regnare in corde meo; ego malui vivere in eo peccata, quæ commisi contra te, summum bonum meum? quomodo, Deus animæ meæ! oculi mei non solvuntur in ardentibus lacrimis? quomodo audeo stare coram te, mi bone Jesu? quomodo possum levare oculos ad te, qui tam perversè & impiè te permutavi? Ignosce mihi, Domine totius miserationis; ignosce mea magna delicta. O qui te nunquam perdidisset, ac pepulisset ex anima sua! Te veram vitam meam commutavi cum morte: te veram sapientiam cum ignorantia hujus mundi; te veram lucem dimisi pro densissimis tenebris; restiti tibi, ut benefacerem carni; spreui te, & pro te locum dedi omnibus malis. Te, Deus meus, abegi, & substitui diabolum & opera ejus. O piissime Domine! misericordia, quæ te compulit tanta pati pro me, te moveat ut compatiaris meæ miseriæ. *Amorosi-
anima des-
terium.* Hic, Domine, me ad pedes tuos abjicio; hic abrenuntio omnibus, quæ contra te dilexi; fac tu, Deus meus, ut ista voluntas perfecta sit. Intra, bone Jesu! in hanc animam quæ tua est; occupa, gloria mea, locum tuum; vive & regna in eo, quia tu es supremus Rex ejus. Abhorream, Deus meus, ab hac hora, quicquid hucusque dilexi, & tu solus ameris à me. Cessent jam, Domine, mea peccata per infinitam misericordiam tuam. Fecisti me, Deus meus, ad te, & inquietum est cor meum, donec requiescat in te. Nescio quid mihi profit vivere, si te iterum sim fugaturus à me. Recipe me, Domine: cura me, Domine; sana me, Domine; depelle ab hac anima inimicos tuos, quia creasti

eam pro tuo habitaculo; posside totam: fac in ea & ex ea, quid quid vis, nunc & semper: satis fac de me voluntati tuæ. Castiga, exerce, onera me; dummodo possideas me, & tu solus locum habes in isto corde: quia me non tantum creasti, sed etiam pretioso sanguine tuo redemisti.

*Aff. Hus
Domini
peccatori
postpositi,*

VII. Quando conjicio, Deus meus, oculos in te, & in magnum amorem, quem erga me geris, desidero accendi ac solvi in ignem puri amoris tui. Sed tu, Deus animæ meæ! quid sensisti in corde tuo inflammato, cum audires homicidam vitam donari, te verò deposci ad mortem? quid sensit amor tuus divinus, cum te videres comparari latronibus? utique jucunda tibi fuit hæc hora, & planè ad votum. Nam dum prædicares Judæis, manducabas & agebas cum peccatoribus, & Pharisei te cum veritate nominabant amicum publicanorum & peccatorum: & quia semper eos defendebas, dicendo, te propter illos venisse; jam te inter illos poscunt ad necem, ipsis vitam exorantes: cumque habeas eos penes te in cruce, potes eis dare paradisum: quam tibi gratum id acciderit, videre tibi associatos, ac tecum permutatos, quos quærebas? Talis es tu, Deus meus: talis est amor tuus, ac voluptas, ut vivant omnes, & tu neci tradaris; ut omnes liberentur, tu condemneris. Ergo Deus animæ meæ, si hæc est hora tua, sit & mea: per hunc amorem, quo das vitam pro hac anima, rogo, mihi des amorem tuum, societatem tecum, & conversationem internam. Totum cupio: tu solus es totum quod cupio: te ero contentus. Da mihi, Domine, hoc, quod amor tuus pro me petit à te.

*Cui non-
dum nato
benefecit.*

VIII. Prius quam ego nascerer, quam te novissem, quam possem aliquid à te petere, tuus amor coëgit te dare mihi vitam tuam, sanguinem tuum, honorem tuum, divinitatem tuam, & omnia, quæ habebas, ad offerendum pro me, & ad utilitatem meam. Jam ego, Domine, te per misericordiam tuam agnosco pro summo bono, & vero Deo meo: jam per bonitatem tuam te desidero, & invoco altâ voce: quomodo poteris mihi negare, quod peto? non peto à te, Deus meus, aliquid spectans ad corpus & vitam humanam: te ipsum, bonæ Jesu, à te peto, ut des totum huic animæ, quo

quo tu nihil magis desideras. Jam, Domine, impenderis pro peccatoribus, jam ad mortem peteris pro illis, jam es in mea societate; ac scio, quanto id animi tui gaudio fiat. Veni ergo in hanc domum peccatricem, quia quæ talis est tua, & tu velut Salvator peccatorum es meus. O pulchritudo mea, recordare quòd ingressus domum Zachæi peccatoris dixeris: *Hodie salus huic domui facta* Luc. c. 19. *est.* Intra igitur, salus plagarum mearum, in hanc domum: intra, vita occidionis meæ, in cor hoc scatens peccatis: ne moreris, quia sub ingressum tuum restituar totus. O mea vera lætitia! sic intra, ut non ampliùs recedas ab hac anima, nec tædio afficiaris ab ea. Vide, Domine mi, quàm destructa & vastata sit: vide, quàm remota à fructu ferendo, quem in ea plantasti. Fac, ô Salvator meus! officium tuum. Purga eam, illumina, restaura, inflamma, consume, renova totam. Concede mihi, Domine, ut ab hac hora nolim alium possessorem hujus animæ, quàm te: nec tu locum des ulli alteri rei, quæ oculis tuis non placeat. Tracta me, sicut vis, & fac ut nihil aliud velim, ô dulcis, ô pie, ô suavis, ô mi Jesu!

Mater Dei, Domina mea, & gloria generis humani! quæ *B. Virgo* plus habes de hoc Domino, quàm omnes aliæ creaturæ; & quæ *pluribus* sola meliùs intelligis, quanta sint damna ejus, qui ipsum non habet, quique eum amittit; cum sis advocata peccatorum, ac didiceris à benedictissimo filio tuo misereri illorum; juva me, ut sim in societate illius. *bonis à Filio cumula- ta est quàm cetera creatura.* Consigna & offer me illi: impetra mihi amorem ejus, qui me semper teneat unitum ei perfecta imitatione, & subjectione totius cordis sub voluntate ipsius, & ne unquam ab eo sejungar. O beati Angeli, & gloriosi cives cæli, qui per experientiam novistis mutationes, quas amor hujus Domini facere potest in peccatoribus, & quomodo illos purget ac gloriosos efficiat, miseremini hujus omnium maximi: impetrate mihi ab eo, ut nunc incipiant in me istæ mutationes, & ut me totum transformet in se, totum comburat, totum me mutet, ac totum sine resistantia omni possideat. Amen.